

Operæ pretium esset, si reformarentur hi Tractatus Tractatum, omitterentur aliena, contraherentur varii Autores de iisdem materiis in unum; & adderetur nucleus ex plurimis Tractatibus, de variis materiis interim, hoc imprimis seculo, editis. Id olim potuisset facile fieri, eadem operâ quâ Index cum Summariis contextus est, nunc quoque Index ad eam rem multum adjumenti præstare potest. Sunt & speciales Tractatus Tractatum, v. g. Tractatus de Pactis uno volumine editi sunt, item de Testamentis, &c. Tractatui Tractatum Juridicorum apud Theologos quodammodo respondent *Biblia Critica Anglicana*, in quibus variorum selecti Tractatus Theologici, ad loca Scripturæ sunt collecti. Est & aliud opus Juridicum, Tractatui Tractatum non absimile, quod vocatur: *Repetentes*. Angli, ut audio, moliuntur in Philosophia Curiosa simile aliquid, quod inscribent *Bibliothecam Philosophicam*, in quam vario-